

tur et imminet, nonnisi per continuam vigilanciam et defensionem obuiari potest, vos vero nullam in hoc nec priuate salutis, nec defensionis statusque vestri habere velletis rationem. Quomodo autem id quoque conueniens credibileque sit, vt illo pro defensione Regni Croacie, vestra quoque salute, que tota in conseruacione et defensione ipsius Regni dependet, gentes ex hoc Regno Hungarie proficiscantur, si vos ipsi defensionis vestre defueritis, nec ad obuian- dum huiusmodi assiduis periculis insurgere volueritis. Scitis enim bene, quan- tam multitudinem Christi fidelium, quantamque predam nuper quoque hostes ipsi Thurci ex Croacia abduxere, indiesque abducere, et misserrimam illam patriam deuastare despoliareque non desistunt. Nam et hac quoque hora hec aduersa noua nobis de confinibus illis Bosnensibus superuenere, quod sci- licet hostes ipsi Thurci in maxima copia congregati valida manu confinia illa et maxime Regnum istud Croacie inuadere, et illud eiusque castra atque mu- nitiones vltra solitum vastare et obruere decreuissent; quod si fieret, con- siderare potestis, quod nec vos quoque, qui illi vicini estis, periculum euitare poteritis: et ob hoc pericula ipsi Regno Croacie incumbencia vobis magis pre aliis subditis nostris cure esse debent. Mandamus itaque et committimus fide- litati vestre sub nota perpetue infidelitatis ammissioneque bonorum vestrorum harum serie firmissime, quatenus a modo dum et quando ac quocienscunque per ipsum Banum nostrum requisiti fueritis, subito cum gentibus vestris insurgere, et illas in pleno et perfecto numero ad dictum Banum nostrum, vel quo idem iusserit, et si plures poteritis, prout pericula Regni illius exposcere nostis, mit- tere in omnem euentum debeatis. Nam nos quoque gentes in maiori qua fieri poterit copia hinc ex Hungaria istuc ad succurrendum vobis et illi periclitanti Regno mitti ac dari citissime iussimus. Vbi autem vos quoque in premissis adhuc negligentes fueritis, ne per huiuscemodi libertatis vestre assercionem Regna illa pereant, commisimus in alijs litteris nostris et auctoritatem eciam no- stram omnimodam dedimus prefato Bano nostro, vt ipse vos et quemlibet vestrum ad hoc faciendam eciam per occupationes bonorum vestrorum aliaque opportuna remedia astringere et compellere debeat. Super hys autem vobis dictus Banus noster iussu nostro et de mente Maiestatis nostre plura dicturus est. Cuius verbis et credere, et ea, que vobis facienda dixerit, facere et exequi modis omnibus debeatis et teneamini; et secus penam sub premissa facere nulla ratione presumatis. Datum Posonii feria quinta proxima post Dominicam Quasimodo. Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimo quinto.

*Tenor Indorsatae:*

Egregijs et Nobilibus Vniuersitati Nobilium Regni nostri Sclauonie, fide- libus nobis dilectis

*(Sigillum Regium ab extus appressum.)*

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 122.